

CLASSICS PART IB, LATIN LANGUAGE

LENT TERM, WEEK 8

1. Translate:

Horace finds himself in bed with an old woman and struggles to perform.

rogare longo putidam te saeculo,
viris quid enervet meas,
cum sit tibi dens ater et rugis vetus
frontem senectus exaret
hietque turpis inter aridas natis
podex velut crudae bovis.
sed incitat me pectus et mammae putres
equina quales ubera
venterque mollis et femur tumentibus
exile suris additum.
esto beata, funus atque imagines
ducant triumphales tuom
nec sit marita, quae rotundioribus
onusta bacis ambulet.
quid? quod libelli Stoici inter Sericos
iacere pulvillos amant,
inlitterati num minus nervi rigent
minusve languet fascinum?
quod ut superbo povoces ab inguine,
ore adlaborandum est tibi.

(Horace Epodes)

2. Prepare:

The monk and scholar Alcuin bids farewell to his old room in his monastery.

*O mea cella, mihi habitatio dulcis, amata,
semper in aeternum, o mea cella, vale.
undique te cingit ramis resonantibus arbor,
silvula florigeris semper onusta comis.
prata salutiferis flore bunt omnia et herbis,
quas medici quaerit dextra salutis ope.
flumina te cingunt florentibus undique ripis,
retia piscator qua sua tendit ovans.
pomiferis redolent ramis tua claustra per hortos,
lilia cum rosulis candida mixta rubris.
omne genus volucrum matutinas personat odas,
atque creatorem laudat in ore deum.
in te personuit quondam vox alma magistri,
quae sacro sophiae tradidit ore libros.
in te temporibus certis laus sancta tonantis
pacificis sonuit vocibus atque animis.
te, mea cella, modo lacrimosis plango camenis,
atque gemens casus pectore plango tuos.
tu subito quoniam fugisti carmina vatium,
atque ignota manus te modo tota tenet.
te modo nec Flaccus nec vatis Homerus habebit,
nec pueri musas per tua tecta canunt.
vertitur omne decus seculi sic namque repente
omnia mutantur ordinibus variis.
nil manet aeternum, nihil immutabile vere est.
obscurat sacrum nox tenebrosa diem,
decutit et flores subito hiems frigida pulcros,
perturbat placidum et tristior aura mare.*

*quae campis cervos agitabat sacra iuventus
incumbit fessus nunc baculo senior.
nos miseri, cur te fugitivum, mundus, amamus?
tu fugis a nobis semper ubique ruens.
tu fugiens fugias, Christum nos semper amemus.
semper amor teneat pectora nostra dei.
ille pius famulos diro defendat ab hoste
ad caelum rapiens pectora nostra, suos.
pectore quem pariter toto laudemus, amemus.
nostra est ille pius gloria, vita, salus.*

(Pseudo-Alcuin)

c. 800 AD